



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CLXIX [i. e. CLXXIX]. De Destructione Castri Labegow.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CAP. CLXXVIII.

De

Expugnatione Castris Ramige.

ARdua & quasi impossibilia humanæ naturæ homo confusus in Domino audet aggredi, quando ex certis indiciis & signis evidentibus sentit sibi Deum propitium. Unde frater Theodoricus prædictus cum exercitu suo ad littus Memelæ oppositum accedens, castrum (a) Ramige eodem modo impugnavit, & licet in dicta impugnatione aliqui de suis vulnerati fuerant & occisi; tamen eodem die ipsum violenter obtinuit & destruxit, partim hominibus captis, aliis occisis.

ANIMADVERSIO.

(a) Ranginte habet Jeroschinus.

CAP. CLXIX.

De

Destructione Castris Labegow.

Cum autem hæc ad aures Scalovitarum devenirent conturbata sunt omnia ossa eorum, & convenientes seniores populi concilium fecerunt in unum, quomodo se possent vindicare. Ordinaveruntque concorditer CCCC. viros præelectos ad bellum, qui navigio venientes ad Castrum fratrum (a) Labegowve improvisè in ortu diei quiescentibus adhuc hominibus in stratu suo ipsum expugnaverunt, occidentes in eo quicquid masculini sexus fuit, præter mulieres & parvulos, quos exusto prius Castro secum cum præda maxima deduxerunt.

ANIMADVERSIO.

(a) Jeroschinus in inscriptione capituli habet Lubistow/ sed postea Labigow

*Hartmannus C. de Helderungen VIII. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Pruss. Provinc.*

909. Hic veſtigal anno 1433. inſtitutum cauſam dedit gravami-
num contra Ordinem Teutonicum.

CAPUT CLXXX.

De

Vaſtatione terræ Scalowia.

Sed quia facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi, ne-
ceſſe fuit, quod Scalovvita de delicto huiusmodi præſum-
ptionis gravem ſubirent pœnam, ne talia de cætero attentarent.
Congregavit ergò Magiſter & fratres validum exercitum in ul-
tionem præmiſſorum, qui cum venirent in terram Scalovia,
ipſam per incendium & rapinam pertransirent à fine uſque ad fi-
nem, in illa parte, quæ tangit terram Pruſchia, factaque ſtrage
magna hominum, mulieres & parvulos vinctos deduxerunt.
Medio tempore, quo hæc agerentur Slinegota Capitaneus Sca-
lovvitarum cum magno exercitu ſeqvutus eſt eos, quod conſide-
rantes Magiſter & Fratres poſitis occultè inſidiis exercitum Sca-
lovvitarum procedentem invaſerunt & pluribus eis occiſis, alios
in fugam converterunt.

CAP. CLXXXI.

De

*Quadam traditione facta contra
Fratres.*

Fuit quidam Vir potens, cui nomen Sarecte Scalovvita, Ca-
ſtellanus in Caſtro Sareka, à nomine ſuo ſic dicto, de illa par-
te Scalovia, quæ tangit terram Lethovia. Qui non habens vir-
tutem armatorum, quæ poſſet Fratres offendere, excogitata
LI 2 qua-